



I A M N E V S, qui & Alexander, Aristobuli frater, Rex Iudæis constituitur à Salome, siue Alexandra, eiusdem Aristobuli vxore relicta, quæ mariti fratres, inter quos erat is Iamneus, statim è vinculis liberat anno mundi 3858. ante Christum natum 104. Iamneus fratrem regni æmulum occidit. contra Ptolemaidem & Gazam, quæ à Iudæis rursus defecerant, mouit: cladem maximam à Ptolemæo Lathyro accepit ad Iordanem. A cleopatra Aegypti Regina, Ptolemæi huius matre, opem implorat, quæ ne filius subacta Iudæa in Aegyptum irrumperet, valida eum manu in Cyprum abire cogit. Maxima populi multitudo ab Alexandro defecit, sed adiutos etiam à Demetrio Rege Syriæ, vicit: quorum potentissimos octingentos, dum cum concubinis cœnat, crucifigi iubet, liberosque, & vxores eorum coram ipsis adhuc viuētibus, mactari. posthæc Iamneus hic, siue Alexander, crapule indulgēs, in morbum incidit, quartanæque feбри postquam tribus annis laborauit, obiit anno regni 27. Vide Iose. li. 13. ca. 19. 20. & 21.

A L E X A N D R A, quæ & Salome, Aristobuli prædicti ac Iamnei postea vxor, vt certum cum filiis regnum tutaretur, Regis mortem, ex eiusdem Regis Iamnei mandatis, militibus celat, vsquequo castellum cepisset: præterea Phariseorum beneuolentiam captat, in quos omnem potestatem transfert, nomen tantum regium ipsa retinet annos nouem, incipientes anno mundi 3885. ante Christum natum 77. Iose. li. Antiqui. 13. ca. 22. Hæc summum sacerdotem Hyrcanum creauit.